

## Band X., Nr. 4816, Seite 460-461

*Der Official von Konstanz beurkundet, dass Johann von Ringgenburg seinen ganzen Besitz dem Deutschorden geschenkt hat, der ihn aus der Pfandschaft löst.*

Konstanz, 1296. März 5.

Officialis curie Constantiensis omnibus presentium inspectoribus salutem cum notitia subscriptorum. Cum honorabilis in Christo vir religiosus frater Egelwardus provincialis fratrum Theutonicorum per Alsatiā et Burgundiam ordinis sancte Marie domus Jerosolomitane piis ac devotis precibus viri circumspecti Johannis de Ringenburch militis humiliter condescendens duos filios eiusdem infra annum duodecimum constitutos scilicet Johannem et Hainricum ad gremium sacre religionis prefati ordinis suscepisset, idem . . . de Ringenburch beneficiorum non immemor acceptorum ingratitude vitium penitus evitando coram nobis publice constitutus ad manus provincialis supradicti vice et nomine ordinis supradicti universaliter omnia bona sua et singulariter universa, videlicet castrum suum Ringenburch villas suas Vlinswangen et Æsenhusen cum iure patronatus ecclesiarum earundem omnibus curiis ipsi castro et villis predictis accedentibus pratis pascuis agris cultis et incultis silvis aquis piscinis molendinis utriusque sexus cum omni ipsorum pecculio mancipiis nobilibus et ignobilibus advocatiis iuribus que ehaftinan dicuntur vel etiam manlehen sive illa in propinquo seu in remotis consistant sive etiam iam nota sint vel in posterum potuerint apparere et generaliter omnia iura sua corporalia et incorporalia nominata et innominata et breviter omnia quocunque vocabulo censeantur zelo divine pietatis accensus pro aumento et corroboratione sue salutis et omnium suorum antecessorum dedit tradidit seu donavit in ipsum provincialem vice et nomine ipsius ordinis omnia predicta per apprehensionem corporalem pure et simpliciter transfereundo, in donatione seu translatione huiusmodi quamcunque sollempnitatem iuris et etiam consuetudinis in talibus debitam observari plenissime observando. Et quia predicta bona heredibus quondam Bertoldi de Vronhoven militis pro tricenis et decem et septem marcis argenti titulo pignoris per . . . dictum de Ringenburch extiterant obligata, . . . dictus provincialis a tutore legitimo eorundem heredum strennuo viro Ūlrico de Kungesegge milite ipsa bona per satisfactionem peccunie prelibate ex integro recuperavit. Instante itaque ac humiliter petente Johanne de Ringenburch milite supradicto in evidentiam et certitudinem premissorum ipsi provinciali presentes tradidimus sigilli nostri robore communitas.

## II

Datum et actum Constantie, presentibus magistro Rū. de Tetinchoven, magistro Cūnrado Azzone canonicis ecclesie sancti Stephani, magistro Walthero dicto Kloker canonico ecclesie in Būchowe, Walthero dicto Essich, Hainrico dicto Vinke et aliis quam pluribus fide dignis, anno domini MCCLXXXVI., III. nonas Martii, indictione VIII.

Ego<sup>1</sup> Johannes de Ringenburch miles antedictus omnia que prescripta sunt sincere confiteor et in evidentiam eius meum sigillum duxi presentibus appendendum. Ego<sup>2</sup> Ūlricus de Kungesegge miles antedictus in evidentiam satisfactionis peccunie prelibate mihi facte meum sigillum duxi presentibus appendendum.

—

Textabdruck folgt dem Original.

Drei Siegel. 1) des Offizials von Konstanz, s. WUB, Bd. VIII, S. 418, Nr. 3279. 2) Johans von Ringgenburg, s. WUB, Bd. VII, S. 316, Nr. 2429. 3) Ulrichs von Königsseg, s. WUB, Bd. VIII, S. 203, Nr. 2933.

---

<sup>1</sup>Auch in der Vorlage neue Zeile.

<sup>2</sup>Von hier an, vom Vorhergehenden durch gekrümmten Querstrich getrennt, von derselben Hand mit anderer Tinte.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

B 343 U 66

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Konstanz

**Ortsindex:**

Bad Buchau Wohnplatz (17062)

Bad Buchau, BC

Burgund

Dettighofen, Pfyn, Kt. Thurgau, Schweiz

Elsaß

Esenhausen : Wilhelmsdorf RV

Esenhausen Wohnplatz (20574)

Esenhausen, Wilhelmsdorf, RV

Fleischwangen Wohnplatz (19419)

Fleischwangen, RV

Fronhofen Wohnplatz (20999)

Fronhofen, Fronreute, RV

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Königsegg Wohnplatz (19468)

Königsegg, Guggenhausen, RV